



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvrgensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Neuburg.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

Obsecramus itaque paternitatem vestram, quatenus fratrum *Monasteriensis* cœnobij necessitates clementer ac benigne audiatis, & quod humiliter petunt, sicut facile potestis, efficaciter concedatis. Siquidem iam dictum cœnobium ab antiqua institutione cum magna reddituum & prædiorum impensa diuinis obsequiis sub monastica professione assignatum, fuit & multis temporibus nullo perturbante inconcussum & quietum permansit. Postea autem ipse iam præfati loci prædia, violenta quadam distractione ablata, regalibus vsibus addita sunt, & Monachis propter ablata sibi subsidia discedentibus, nullus, aut omnino exilis diuini seruitij cultus ibi fuit. At verò quia nunc denuò boni & spirituales homines in locum pauperculû restituti sunt, ecce illi sub vestram tutelam confugiunt, & vt sub paternum præsidium eos suscipiatis, & recognoscendis bonis quæ ablata eis sunt operâ deis, humillimè ac deuotissimè petunt.

Karissimo Domino suo & Patri INNOCENTIO, Dei gratia summo Pontifici, T. sanctæ *Rufinæ* minister indignus, quod Domino seruus, quod patri filius.

Monasterium quoddam in Episcopatu *Ratisbonensi* situm, *Monasterium* quoque nomine dictum, vt fama refert, antiquitus sedi Apostolicæ delegatum & traditum, amplis & magnis possessionibus admodum dilatatum fuerat: sed peccatis exigentibus, & malis dieb. superuenientibus, ad id redactum est, quod expulsi Monachi, possessiones distractæ, & omnia intus & foris ita destructa sunt, quod pro multis Monachis vix pauci & pauperes clerici remanserunt. Postmodum verò temporib. *Lotharij* Imperatoris, piæ memoriæ, *Otto Bambergensis* Episcopus præfatum Monasterium religione & rebus penitus nudatum, cû paucis adiacentibus terris & habitaculis, ab Imperatore & Duce *Henrico* per pecuniam obtinuit, & Ecclesiæ *Bambergensi* ab ipsis donari fecit, virosque religiosos ordinis Monastici ibidem collocauit. Qui antiquæ libertatis Romanæ videlicet dominationis suspirantes memoriam, per nostræ paruitatis intercessionem ad vestræ maiestatis confugiunt defensionem, quatenus vestræ auctoritatis patrocinio, & ea quæ ablata sunt ex parte aliqua recuperare valeant, & ea quæ nunc habent, cum vestræ defensionis tutela quiete possideant. Ad honorem & vtilitatem sanctæ Ecclesiæ suæ, vitam longam, salutem continuam tribuat vobis omnipotens Dominus.

NEUBURG.

MONASTERIUM Monialium Nobilium Ordinis Sancti Benedicti, ad Danubium supra Ingolstadium, fuit olim, tempore Pipini Regis Fancie peculiaris Episcopatus, Mannus ibidem Episcopus fuit in magnis prouincialibus Comitibus in Dingelsing, à Tassilone Duce celebratis, anno 775. translatus postea hic Episcopatus Augustam, & S. Vlrico donatus. Neuburgij desuit, Auent. fol. 302.

S. HAINRICVS Imperator vna cum coniuge sua Sancta Kunegunde, à fundamento extruxerunt hoc Monasterium, sacris Virginibus, Anno 1007. ad preces Hilarij Episcopi cuiusdã Pannonici & Cæcellarij Imperatoris, qui miraculis clarus in eiusdem Cœnobij medio ferè templo honorifico mausæolo, cum ipsius saxea imagine ac statua, humatus dicitur. Nominatum est tam Monasterium, quam ipsum oppidum Neuburgum, ad differentiam veteris castelli Altenburg, cuius rudera & vestigia paulò supra Neuburgium adhuc extant.

In Catalogo Abbatissarum huius Monasterij, quem Bruschius in centuria sua Mo-

sua Mo-

sua Monasteriorū ponit, inter alias II. loco est D. Anna Pferingerin, quæ an. 1444 præfuit, & vitam S. Hilarij germanica lingua scripsit ad Ludouicum, Ducem Bavariz, Com. in Gaisbach &c. quæ obiit anno 1451.

XIII. ABBATISSA, D. Barbara Pruñerin, qua autore, reformatio ibi facta est, & obiit 1486.

XV. ABBATISSA D. Margaretha, filia Georgij Ducis Bavariz ex Altenhochē-
au, Monasterio, supra Wasserburgum huc euocata, præfuit huic Monasterio Anno 1509. Præfuit annos 12. & resignans Anno 1521. per decennium adhuc vixit, ob. ann. 1521. in medio templi ibi honorificè sepulta.

XIX. ET vltima consecrata Abbatissa huius Monasterij D. Magdalena, ex nobili familia *der Hund von Lauterpach* electa, an. 1547. obiit 1555. sepulta ibi in ambitu. Post hanc, in ualescente Lutheranismō, nulla amplius canonicè electa, vel consecrata est Abbatissa: Dantur Monialibus ibidem, quæ hinc exire aut nūbere noluerunt, alimenta, & satis quidem liberaliter, sed nullæ amplius recipiuntur.

EXTAT ibi diploma Heinrici sancti, qui pro remedio animæ suæ ac contoralis Kunegundæ Reginae, sanctæ Neuburgens. Ecclesiæ sororibus, sub B. Benedicti regula degentibus, quædam prædia in augmentum stipendiorum dono dedit, nempe prædium in Comitatu Graispach situm, scilicet *Tagmarhaim* cum nemore, & *Möringen*, situm in Comitatu *Hirsperch*, nec non *Zell* situm in Comitatu *Neuburg*, cum omnib. illorum prædiorum pertinentiis, Ecclesiis, villis, arcis, mancipiis, cultis & incultis &c. Datum 18. Calend. Maij, Indiēt. 5. an. Dñi 1007. anno Heinrici II. regnantis quinto. Acta sunt hæc Ratisbone feliciter. Amen. Exemplum huius ponit *Bruschius* de Monasteriis.

A D D I T I O N E S.

Romanos olim in his partibus ad *Danubium* castra & stationes suas habuisse, in *Delineatione Norici* veteris, & adnexo *Nomenclatore*, testib. *Atilia*, testib. *Calatoris* ex *Auentino*, *Augustino Kolnero*, *Abrahamo Ortelio*, *Petro Appiano*, *Marc. Velsero* docum^o. *Nuuenpurgensis* ciuitatis episcopatu eiusq; Ep̄m MANNVM Concilij *Dingolfingensis* an. Chr. D. CC. LXX. sub *Tasilone Boiorum* Duce celebrati Acta dissertè commemorant. Heic de Monasterio *Neoburgens* agendum: cuius fundatiōnis tempus certū assignari nequit. Etenim *Henricum* II. Regē coniugē & *Kunigundā* restaurasse illud, non fundasse de nouo quemadmodum *Bruschius* opinatur, ipse *Henrici* 5. littera ex *Bruschij* centur. Monasteriorum, huc relatè, euineant.

Vid. Velsero
Boiar.
V. p. Me-
trop. i. p.
85 pag.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS diuina fauente clementia Rom. Rex. Si ecclesias Dei in augendo exaltauerimus, æternæ remunerationis emolumentū nobis inde profuturum, ne utiquam diffidimus. Quapropter omnium S. Dei Ecclesiæ fidelium præsentium scilicet & futurorum nouerit industria, qualiter nos tam pro nostræ quàm prædilectissimæ contectalis nostræ CHVNIGVNDÆ videlicet Reginae animæ remedio, sanctæ *Neoburgens* Ecclesiæ sororibus, sub S. *Benedicti* Regula degentibus, quædam nostri iuris prædia taliter donantes proprietamus in augmentum stipendiorum, scilicet *Tagmarhaim* situm in Comitatu *Grayspach*, cum nemore: & *Möringen* situm in Comitatu *Hirzperg*, nec non *Zell* situm in Comitatu *Neunburg* cum omnibus eiusdem prædiorum attinentiis & appendiciis, videlicet Ecclesiis, villis, arcis, ædificiis, mancipiis vtriusque sexus, terris cultis & incultis, quæ sitis vel inquirendis, viis & inuis, exitibus & redditibus, pratis, pascuis, compascuis, siue apium, pascuis,

pascuis, syluis, faginis, aquis, molendinis, piscationibus, ceterisque omnibus quæ ritè dici vel scribi possunt quolibet modo vtilitatibus & appendiciis. Præcipientes igitur Regaliauctoritate iubemus, quatenus benedicti semper gregis moderatrix siue Abbatisa, tam præsens quam etiam futura, liberam dehinc habeat potestatem antedicta prædia tenendi, possidendi, colendi, ædificandi, aduocatum supra ponendi, seu quicquid sibi liceat modis omnibus ad vsum sanctimonialium in prælibata *Neuburgensi* Ecclesia Deo Monachicè seruientium, faciendi. Et vt hæc nostræ traditionis seu donationis Majestas stabilis & inconuulsa permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Eberhardus Cancellarius vice *Wiligisi* Archicancellarij recognoui. Data XVII. Kalendarum Maij, Indiçt. V. ann. Dominicę incarnationis M. VII. anno vero Dn. *Henrici* secundi regnantis V. Acta sunt hæc *Ratisbona* feliciter Amen.

Abbatissarum Catalogum *Bruschius*, suo ipsius iudicio mancum, talem collegit.

- | | | |
|--|-----------------------|-------------------|
| I. Dn. RVTRVDIS. | III. Dn. MECHTHILDIS. | V. Dn. GERHILDIS. |
| II. Dn. ITA. | IV. Dn. HADEMODIS. | VI. Dn. RILINDIS. |
| VII. Dn. AGNES. | VIII. Dn. SOPHIA. | IX. Dn. GVTHA. |
| X. Dn. CHVNEGVNDIS de <i>Salern</i> . | | |
| XI. Dn. ANNA. <i>Pferingerin</i> præfuit ann. 1444. quo vitam S. <i>Hilarij</i> et si materna tantum & Germanica lingua scripsit ad <i>Ludouicum</i> Palatinum <i>Rheni</i> , Ducem <i>Bauarię</i> & Comitem in <i>Graispach</i> . Hæc legitur decessisse ex hac vita mortali, anno 1451. | | |
| XII. Dn. ELISABETHA <i>Lentershoferin</i> præfuit ante reformationem. | | |
| XIII. Dn. BARBARA <i>Brunnerin</i> , auctor & inductrix Reformationis, an. Dñi 1465. à quo præfuit vno & viginti annis. obiit anno Domini 1486. in ambitu sepulta. | | |
| XIV. Dn. ANNA <i>Gurrin</i> nobilitate & generis & virtutis Illustris Domina; præf. ann. 23. Resignauit officium an. 1509, vixit adhuc 8. annis, obiit anno gratiæ 1517. | | |
| XV. Dn. MARGARETHA inclyta <i>Bauarię</i> Ducissa, Ill ^{mi} Principis <i>Georgij</i> cognomento diuitis filia: ex <i>Altenhobenaui</i> propè <i>VVasserburgum</i> <i>Bauarię</i> ciuitatem sito cænobio euocata, Abbatix huic præficitur, ann. 1509. præfuit annis duodecim, & resignans anno 1521. per decennium adhuc vixit. obiit verò in die trium Regum anno Dñi 1531. in medio templi <i>Neuburgens</i> honorificè sepulta, propè S. <i>Hylarij</i> Episcopi tumulum. | | |
| XVI. Dn. EVGENIA <i>Mayselbergerin</i> eligitur anno 1521. præfidet decem annis. Abiit eodem anno quo Ducissa <i>Margaretha</i> inter mortales esse desuit, videlicet 1531. | | |
| XVII. Dn. HYLARIA <i>Egnina</i> ex <i>Dünckelspühelio</i> nata, successit Dn. <i>Eugenie</i> , præfuit septem annis. sub eius gubernatione cœpit Illustrissimus Princeps ac Dn. Dominus <i>Otho Heinricus</i> Palatinus, <i>Rupertij</i> filius, renouare & eximis fundamentis de nouo construere, & maximis sumptibus præclarissimè illustrare arcem <i>Neuburgensem</i> Cœnobio penè contiguam, &c. | | |
| XVIII. Dn. VRSVLA à <i>Seubelstorff</i> , <i>Bauara</i> eligitur anno Christi 1538. præfuit annis octo. sub eius gubernatione exarsit in Germaniis bellum ciuile <i>Smalcbaldicum</i> contra Imp. Diuum <i>Carolum</i> V. in <i>Bauarię</i> primum ad <i>Ingolstadtium</i> geri cœptum, cuius metu, & quod pestis etiam à militibus allata | | |

allata grassaretur *Neuburgi*, successit cum Conuentu suo *Daugingiacum*, quod oppidum Palatinorum est supra *Donauverdam* ad *Danubium* situm, *Alberti Magni* Philosophi, ac tandem Episcopi *Ratisbonen.* natalis solium: ibi delituit, donec vrgentib. reb. *Schrobenhusiu* (aliud id oppidum *Bauaricu* est, medio ferè itinere inter *Ingolstadt* & *Augustã Vindelicã* situm) concedere cogeretur: vbi ex hac mortali vita deceiuit, in die *S. Ceciliae* an. 1546. sepelitur in Coenobio *Scheurense*, &c.

*Hundin.

XIX. Dn. MAGDALENA *Hyntina* de *Lautterbach*, *Bauara*, & genere & virtute nobilis: eligitur in Abbatissam *Neuburgensem* an. Dñi 1547. ipsa die *S. Pannonij*. Præsides feliciter ac laudabiliter hoc adhuc currente anno Christianorum 1551. que & hæc hætenus dicta, & sequens illud foundationis suæ Diploma ab *Henrico* Imperatore (cuius manibus, scriptum originale ipsa mihi etiã ostendit) datum, clementer ad huius Monastici operis exedificationem communicauit: cui te lector optime debere memineris, si quid inde voluptatis perceperis.

Wir Ludwig von Gottes Gnaden Pfälzengraue bey Rhein Herzoge in Nidern vnd Obern Bayern etc. Bekennen mit dem brief öffentlich vnd allen / den er fürkombt / das für vns forren sind die würdig vnd andächtigen vnser lieb getreue die Abtissin vnd das Conuent vnser Losfers zu Neuburg S. Benedicten Ordens vnd haben vns fürbracht solch jr freyheit gnad / gab vnd briue so si von vnsern vordern Fürsten des löblichen hauß von Bayern löblich gedechenuß bis an vns erlanget habe vñ vus darauff mit demütiger bete angeruffet in solch jr freyhait gnad vnd brieff auch gnediglich zubestäten / des haben wir angesehen zimlichait jrer bete wann wir vnsern liebe Vorderen seligen in allen redlichen guten sachen nit vnbillichen nachuolgen sullen vñnd nemblich den mer die vns justen vñnd zu dem Dienste Gottes begeben sein vnd darinnen sich ernstlich erzeigen dann andern mit Gnaden wol geneigt sein vnd haben in darumb all vnd yed jr Freyhait / Gnad / Gab / Bestattung vnd Brieff vnserer Vordern vorgemelt auch jr als herkommen vnd gut Gewonheit als sy bis an vns genossen vnd herbracht haben gnadlichen verneuert / bekräftigt / bestätet vnd Confirmirt, verneuet vnd bestäeten in auch die all vñ yeglichen sametlich vnd sunderlich mit guter wissen vnd in krafft des Brieffs in massen vnd forme als ob solch Brieff von wort zu wort hieinnen verleibet vnd geschriben weren / wellen sy auch gnediglich dabey händ haben schutzen vnd schermen vngewertlich alle vñ heden vnsern Digtumen / Räten / Hauptleuten / Pflegern / Känimeistern / Jagermaistern / Richtern / Schergen / Seeten / vnd Märkten / Edlen vnd nit Edlen vñnd allen andern vnsern Bndertanen vnd Getreuen samentlich vnd sunderlich ernstlich gebiet vnd gegenwärtig vnd künfftig das jr das benant *Goghans / Abtissin* vñnd Consente jr Leib vñnd Gut vnd die jren ew lasset gunstlich beuolht sein sünd er sy bey solchen jren Gnade / gabe / Freyhait / Brieff vnd bey der vnser bestätetig auch bey alien herkhom vnd guter gewonhaiten vngewertlich beliben lasset vnd in kainen tranck daran tut noch jemanz zutun gestattet als lieb ew sey vnser Digenad vnd swäre straffe zuuermeiden / des zu verkhunde vnd ewige zeuchnus geben wir in den Brieff mit vnsern anhangenden Insigel besigeltten zu *Neuburg* an *Sambstag* nach dem heiligen *Auffartag* nach *Christi Geburt* *XIII.* vnd in ains vng sunftigisten Jaren.

Litera Dn. cis Ludom. ci.

NEUSTIFT SEU NOVA CELLA MONASTERIUM
PRÆMONSTRATEN. ORDINIS.

HEINRICVS Dux *Bauariae* & *Austriae*, Otto frater eius Episcopus *Frisingensis*, ac *Chronographus*, in *superiori Bauaria*, de integro ædificant extra *mœnia Frisingen*. In ipsa *llara* & *Mosæ* confluentia, *Monast. pro Præmonstratis*, dictum